



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

3. Alias folicis &c. Facultas tradita Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo
Dunelmensi ad absolvendos seditiosos & deturbatores Regni Angliæ: Anno
1495.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

non fuerint actualiter possessa usque ad diem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi proximè præteritum, à quo incipit annus præsens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius; quando fuerint per Nuntios & Capitaneos vestros inventæ aliæ quæ prædictarum Insularum, auctoritate omnipotentis Dei nobis in B. Petro concessa, ac Vicarius Jesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum Dominiis, Civitatibus, Castris, Locis & Villis, iuribusque & jurisdictionibus, ac pertinentiis universis, Vobis Hæredibusque & Successoribus vestris Castellæ & Legionis Regibus in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus, assignamus, vosque & Hæredes ac Successores præfatos illarum Dominos cum plena, libera, & omnimoda potestate, auctoritate, & jurisdictione facimus, constituimus, & deputamus; decernentes nihilominus per hujusmodi donationem, concessionem, & assignationem nostram nulli Christiano Principi, qui actualiter præfatas Insulas & terras firmas possederit usque ad dictum diem Nativitatis Domini Jesu Christi jus quæsitum, sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute Sanctæ Obedientiæ, sicut pollicemini, & non dubitamus pro vestra maxima devotione & Regia magnimitate vos esse facturos, ut ad terras firmas & Insulas prædictas viros probos & Deum timentes, doctos, peritos & expertos ad instruendum incolas & habitatores præfatos in fide Catholica & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes. Ac quibuscumque personis cujuscunque dignitatis, etiam Imperialis & Regalis Status, gradus, ordinis, vel conditionis sub excommunicationis lætæ sententiæ pena, quam eo ipso, si contrafecerint, incurrant, districtius inhibemus, ne ad insulas & terras firmas inventas & inveniendas, detectas & detegendas versus Occidentem & Meridiem, fabricando & construendo Lineam à Polo Arctico ad Polum Antarcticum, sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam, aut versus aliam quamcumque partem, quæ Linea distet à qualibet insularum, quæ vulgariter nuncupantur de Azores & Cabo Verde, centum leucis versus Occidentem & Meridiem, ut præfertur, pro mercibus habendis, vel quavis alia de causa accedere præsumant, absque vestra, ac Hæredum & Successorum vestrorum prædictorum Licentia Speciali; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque: in illo à quo Imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt, confidentes, quod dirigente Domino actus vestros, si hujusmodi sanctum & laudabile propositum prosequamini, brevi tempore cum felicitate & gloria totius populi Christi vestri Labores & Conatus exitum felicissimum consequentur &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M CCCC XCIII. IV. Nonas Maij Pontificatus nostri Anno I.

tas editis incurrisse, quoties expediret in forma Ecclesiæ consueta, prout in nostris desuper confectis Litteris, plenius continetur.

Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecisti, contingere posset, quod Archiepiscopus & Episcopus præfati præmissa exequi semper commodè non possent; Nos animarum Saluti consulere volentes, omnibus & singulis Archiepiscopis & Episcopis præfati Regni, quos ad id pro tempore Majestas tua, aut tui Successores duxerint requirendos, & non alias, ad executionem dictarum Litterarum, alias in omnibus, & per omnia illarum forma servata, quoties opus fuerit, per se, vel alium, seu alios omnes & singulas personas Regni prædicti, quæ censuras tam in prædictis nostris, quam ipsius Innocentii Litteris contra Seditiosos ipsos contentas editis incurrisse, absolvendi ulteriusque procedendi, perinde ac si eis à principio directæ fuissent, & dirigerentur, plenam & liberam facultatem concedimus per præfatos, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in aliis litteris prædictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo quinto Id. Julij, Pontificatus nostri anno tertio.

Concessio, ut Equites Ordinum Militarium Lusitanie à Voto Castitatis absolvantur, ut salvo Ordine matrimonia inire possint: anno 1496.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sane pro parte charissimi in Christo filij nostri Emanuelis Portugaliæ, & Algarbiorum Regis illustris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in regnis prædictis, in quibus militiæ Jesu Christi & de Avis Cisterciensis Ordinis pro infidelium expugnatione & depressione ad militandum contra eos ab eorum primæva fundatione institutæ, fere universi milites dictarum militiarum pro majori parte continentie & castitatis voto, quod in eorum professione emittunt, contempro, concubinas etiam plures, & in eorum ac Præceptoriarum & Prioratarum dictarum militiarum propriis domibus & locis, non sine magno religionis opprobrio, publicè tenere & eis cohabitare, ac etiam adulteria cum aliis mulieribus conjugatis committere non verentur; ex quo ab eorundem regnorum incolis & habitatoribus maximo odio habentur, dissensiones & inimicitie oriuntur, diversa scandala quotidie concitantur, ac non parva militum eorundem imminere pericula animarum. Verum si statueretur, & ordinaretur, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in dictis militiis proheri volentes professionem solitam, & continentie votum matrimoniale, prout milites militiæ Sancti Jacobi de Spatha, Ordinis S. Augustini emittunt, emittere deberent, & ad eorum instar matrimonium contrahere possent, ex hoc profecto incontinentie adulteriis, odijs, dissensionibus, inimicijs, scandalis, & animarum periculis hujusmodi obviaretur, ac multi nobiles regnorum eorundem, qui militiis prædictis adversus ipsos infideles plurimum utiles & fructuosi essent, videntes se matrimonium contrahere posse, ad profectum in dictis militiis inducerentur, ac quam plures nobiles mulieres, quæ cum difficultate nuptui tradi possunt, cum eisdem militibus possent matrimonio collocari, quod ad maximum incolarum regnorum eorundem consolationem cederet pariter & quietem.

Quare pro parte tam præfati Emanuelis Regis, qui dictæ Militiæ Jesu Christi in temporalibus per Sedem Apostolicam administrator seu gubernator deputatus existit, quam dilectorum filiorum universorum Priorum, Præceptorum, & Militum dictarum

IV.
Ex Cod.
Diplom.
Leibnitii
Tom. 1.
P. 1. pag.
475.

III.
Ex Arch.
Ang. Ri.
mer. Tom.
12. p. 573.

Facultas tradita Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Dunelmensi ad absolvendos seditiosos & deturbatores Regni Angliæ: Anno 1495.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei Carissimo in Christo Filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Aliis felicis recordationis Innocentii Papæ VIII. Prædecessoris nostri vestigijs in hærentes, Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Dunelmensi, eorum propriis nominibus non expressis, facultatem concessimus absolvendi omnes & singulas personas Regni tui, quæ censuras in quibusdam aliis Litteris nostris contra Seditiosos & novos tumultus excitantes conten-